

Index Alphabeticus Regularum Juris Civilis.

T.	Ubi non voce, sed presentia opus est, mutus, si intellectum habet, potest videri respondere. Idem in furdo: hic quidem & respondere potest. 1. Furiosus absentis loco est: & ita Pomponius libro primo epistolarum scribit. 124
T	Otiens in heredem damus de eo, quod ad eum pervenit, quotiens ex dolo defuncti convenitur: non quotiens ex suo. 44
V.	Ubi pugnantia inter se in testamento juberentur, neutrum ratum est. 1. Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt. 188
V	Ani timoris iusta excusatio non est. 184
	Ubicunque, causa cognitio est, ibi Prætor desideratur. 105
	Ubi lex duorum mensium fecit mentionem, & qui sexagesimo & primo die venerit, audiendus est: ita enim & Imperator Antoninus cum divo Patre suo rescripsit. 101
	Velle non creditur, qui obsequitur imperio Patris, vel Domini. 4
	Verum est, neque pacta, neque stipulationes factum posse tollere: quod enim impossibile est, neque pacto, neque stipulatione potest comprehendi, ut utilem actionem, aut factum efficere possit. 31



PROÆMIUM.



PROÆMIUM  
DE REGULIS JURIS  
IN GENERE.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio Ordinis.
- 2 Quid sit Regula Juris?
- 3 Declaratur exemplis ex Jure desumptis, & tribus seqq.
- 7 Regulae aliae sunt Juris Civilis, aliae Juris Canonici.
- 8 Multum conveniunt ad invicem, & promiscue citantur.
- 9 Regulae aliae sunt Authenticae.
- 10 Aliae non Authenticae, seu Brocardicae.
- 11 Authenticae habent vim Juris in casibus non exceptis.
- 12 Nulla Regula sine exceptione.
- 13 Regulae scire & applicare, maxima utilitas.
- 14 Quae observanda in applicatione, & seqq.
- 16 Exceptio declarat Regulam, & firmat eam in contrarium.



INTEQUAM explicandas Regulas Juris in specie assumamus, conducens videtur prius de earum natura in genere, earumque divisione, vi, & auctoritate, utilitate, & applicatione agere. Hinc Queritur I. Quid & quotuplex sit Regula Juris? Resp. I. Quamvis

Regulae nomen varias habeat significationes, & Etymologiam spectando derivetur à regendo, seu regulando, eo quod rectè ducat, vel normam rectè vivendi præbeat, vel disformum, prævumque corrigat, Can. Reg. 2. dist. 3. Tamen ad propositum, & in quantum ut Regula Juris consideratur, denotat sententiam generalem, quæ plura Jura seu leges & canones hinc inde dispersos de diversis rebus & casibus eandem rationem habentibus agentes, brevi ac claro compendio complectitur & proponit. In quo genuino sensu Regula Juris bene definitur l. 1. ff. de Regulis Juris illis verbis: Regula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat: ubi per rem non denotatur res seu factum, vel causa in controversiam deducta, sed ipsam jus de variis rebus eandem rationem habentibus hinc inde fisis dispersum, quod per Reiffenstuel Jus Can. Tom. VI.

gulam breviter, compendiosè & clarè proponitur non ut ex Regulis Jus sumatur, sed ex Jure, quod est, Regula fit ff. ibid. Sicque non Jus ex Regulis, sed regule ex Jure sumantur.

Pro majori intelligentia Regulae Juris, declaratur exemplis utriusque juris; sic etenim dum infames unus Canon à Prælatoribus, & Beneficiis Ecclesiasticis, alius à Magistratu, alius ab officio Judicis & Assessoris, alius à munere Tabelhonis & Advocati arcet, cuncta hæc Jura & Canones diversis in locis positos unica Regula 87. Juris in 6. paucis verbis complectitur: Infamis portæ non pateant dignitatum.

Sic etiam quod in Jure disponitur, periturum non esse admittendum ad testificandum propter suspicionem perjurii c. T. stimonium. 54. de Test. & Attest. Item, uxorem non esse restituendam marito sevient ab eo digressam ob metum sevitæ. c. Litteras. 15. in fine de Restit. spol. deciditur unâ Regula Generali: semel malus semper præsumitur malus l. 8. de Reg. Juris in 6.

Sic pariter dispositiones Juris, quod Matrimonium defectu ætatis invalidum resolvatur in sponsalia. c. fin. de Spons. Impuberum: & Testamentum minus solemne non præjudicat piis legatis, c. cum esset de Testam. ac licet Donatio ultra quingentos solidos non insinuata sit invalida §. Alia autem 2. Infl. de Donation. valeat saltem pro minori summa, breviter comprehendit unica illa Regula: utile per inutile non debet vitari.

Romæ dum lex Civilis una fœminas ab officio Judicis, alia à tutela, alia à postulando, alia à fidejehendo removet, has cunctas leges in diversis locis de diversis actibus latis breviter jam comprehendit Reg. 2. in Pandect. Fœmine ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotæ sunt. Ut proin pro facilitate capti Regula Juris juxta dicta bene definiti valeat dicendo: Regula Juris est sententia generalis, quæ plura jura, seu leges & canones hinc inde dispersos, ac variis rebus eandem rationem habentibus agentes clare, ac brevi compendio complectitur ac proponit. Prout etiam in re com muniter eam definiunt Canonistæ & Legistæ.

Resp. II. Regulae Juris in primum dicto proprio sensu acceptæ alie sunt Juris Civilis, alie Juris Canonici. Regule Juris Civilis sunt, quæ Juri Civili sunt intertæ, præteritum verò illæ, quas numero

ingenfi, accedat Authoritas Judicis Ecclesiastici, necesse est; immo etiam ad secretò quidem contracta, sed postea divulgata, uti patet ex Rituali Diccensis præfate cap. 9. membr. 1. §. 7. n. 3. ubi expresse decernitur, ut non tantum sponsalia coram Parocho publicè contracta; sed etiam secretò contracta, sed postea divulgata, ad sui dissolutionem requirant auctoritatem publicam Judicis Ecclesiastici.

7 Illud tamen etiam notandum cum Glossa hic, per Regulam hæcenus declaratam non negari, quin obligationes etiam aliis, quam inducitur sunt, modis solvantur. Sic enim plures obligationes tolluntur reali solutione l. Nulla. 5. C. de solut. Tolluntur etiam Præscriptione Prin. Insti. quibus modis toll. obligat. Item tolluntur morte, quæ omnia solvit: sic morte solvitur obligatio Societatis s. Solvitur 5. Insti. de Societ. Frequentior tamen, & quasi ordinarius solvendi obligationes modus est idem, qui erat constitutus juxta hæcenus declaratam Regulam; quamvis etiam in hoc suas patiatur exceptiones. Hinc

8 Queritur II. Quas exceptiones & fallentias patitur regula I. hæcenus declarata? R. Plures, inter alias etiam sequentes, & quidem I. Fallit in Matrimonio consummato; quia ex institutione Divina est indissolubile, & ideo mutuo consensu, quo contractum est, solvi non potest.

9 Fallit 2. In Sacramentis Baptismi, Confirmatio-

nis, & Ordinis utpote quorum effectus & character est indelebilis pariter ex institutione Christi, & ideo semel suscepta sicut non iterantur, sic etiam amplius non amittuntur Gloss. hic. v. omnis. Abbas hic pr. 2. n. 2.

Fallit 3. In cunctis obligationibus spiritualibus, prout jam dictum n. 3. de vero sensu Regulæ. Gloss. & Abb. l. c. cum communi aliorum. Rationem assignant; quia sicut obligationes temporales facilius destruantur, quam constituuntur, sic obligationes spirituales facilius constituuntur arg. c. Inter corporalia. 2. de Translat. Episc. cum fortius sit spirituale vinculum quam carnale.

Fallit 4. In obligationibus ex natura sua, vel ex Dispositione legis Divinæ aut humanæ perpetuis: Ratio est, quod licet obligationes ex contractibus ortæ regulariter dependent à voluntate contrahentium, cum contractus operari non debeant ultra intentionem agentium l. 19. ff. de Rebus credit. Nihilominus, quia contrahentes se conformare censentur Juri, & nature contractus l. 17. §. Cum ita. ad S. C. Trebell. & l. 54. §. Inter locatorem. ff. locati. contractus, & inde orta obligatio irrevocabilis evadit, quando eam lex, vel natura perpetuum esse volunt, ita ut, quod prius erat voluntatis, ex post facto fiat necessitatis. l. 12. in fine. C. de contrah. Empt. l. 22. §. sicut. 11. ff. Mandati.

REGULA II.

Estote Misericordes &c. Hoc locò nil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ, dubium est, quò animò fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est: ex Fructibus eorum cognoscetis eos: De Manifestis dictum est, quæ non possunt bonò animò fieri: ut stuprum, Blasphemias, Furta, Ebrietates & similia, de quibus nobis permittitur judicare.

Vel ut Rubrica habet:

Dubia in meliorem partem interpretari debent.

SUMMARIUM.

- 1 Quomodo intelligenda hæc Regula?
- 2 Intelligi de omnibus actionibus & verbis. Quilibet præsumendus bonus, donec probetur malus. ibi.
- 3 Stante verò dubiò solum procedit Regula.
- 4 Verus sensus Regulæ.
- 5 Securitas est, errare melius quam pejus interpretando.
- 6 Melius est rationem reddere propter misericordiam, quam propter crudelitatem.
- 7 Quando, & quomodo adhibendus Rigor? Facilitas venie est incentivum peccandi. Ib.
- 8 Declaratur Regula exemplis, & tribus seqq.
- 12 Fallit Regula in manifestè ac intrinsecè malis.
- 13 Item quando agitur de damno averiando.
- 14 Et in Judiciis.

1 Queritur I. Quomodo hæc Regula II. intelligenda? & quis verus ejus sensus sit? Resp. I. Hanc Regulam esse faciliem intellectu; quia, uti patet, seipsam declarat; hinc ab aliis communiter solis illis verbis proponitur: Ea facta, quæ dubium sunt, quo animò fiant, in meliorem partem interpre-

temur. Vel ut Rubrica habet: Dubia in meliorem partem interpretari debent.

Notandum tamen, per verbum Regulæ facta intelligi omnes actus, gesta, operationes, actiones, imò & verba arg. c. quia circa 22. de Privileg. quæ si ita se habent, ut nec certum, nec probabilius, nec verè probabile appareat, sed verè dubium maneat, ex quo sine, vel qua intentione bona vel mala prodierint, bonà potius, quam malà intentione & animò contigisse, censenda sunt vi hujus Regulæ. Rationem dat S. Thomas 2. 2. q. 60. art. 3. quia ille, qui habet malam opinionem de proximo absque sufficienti ratione, facit ei injuriam, eamque temerè judicat, & indirectè contemnit, quod licet facere non potest juxta illud Salvatoris Matth. 7. v. 1. & Lucæ 6. v. 37. Nolite judicare (intelligite temerè sine sufficienti ratione) & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Fundatur etiam in lege charitatis volente, ut quisvis præsumatur bonus & innocens, donec probetur malus, arg. c. unico de Scrus. c. fin. de Præs. & l. Meritò 51. ff. pro Socio.

Dicitur autem notanter in Responsione: ut verè dubium maneat; quando enim ex ratione & circumstantiis quis magis in unam, quam alteram partem inclinaret,

inclinaret, licet eam fortissime de opposito, jam cessaret dubium, & subintraret opinio, sicque Regula locum non haberet. uti ex Rain. Prax. Crim. q. 36. n. 197. Menoch. de Præsumpt. q. 7. n. 47. bene observat Strein. in hac Regulam n. 1. quia dubitatio nullus adhuc est probationis gradus, sed potius principium investigationis de veritate & certitudine. Farin. Menoch. l. c. Cæterum ut rectè advertit Strein. l. c. Dubium nasci solet vel ex defectu mediæ scientiæ, vel ex obscuritate ipsius rei, facti, aut sermonis, vel ex æqualitate signorum aut rationum: manente ergo vero dubio solum procedit Regula circa quam proin

4 Resp. II. Verus & proprius sensus Regulæ secundæ est sequens: Quandoquunque actiones vel verba ita constituta sunt, ut non appareat, sed verè dubium maneat, utrum animo, seu intentione bona vel mala prodierint, ea in bonam partem interpretari, & animo seu intentione bonâ potius, quam malâ contigisse censere debemus: ob rationes & jura supra n. 2. jam allegata.

5 Nec obstat, contingere posse, quòd ille, quâ in meliorem partem interpretatur, frequentius fallatur; Respondetur enim, melius esse, quòd quis fallatur habens bonam opinionem de homine malo, quam quòd raris fallatur habens malam opinionem de homine bono; quia ex hoc fit proximo injuria, non autem de primò, ut bene advertit S. Thom. l. c. art. 4.

6 Hinc etiam arg. can. alligant. can. 26. q. 7. melius est, de misericordia argui, quam de crudelitate; nam ut habet S. Chrysostr. citato can. relatus: nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem?

7 Et si obijciatur, can. Est injusta. 33. can. 23. q. 4. præcepti, ut fervetur rigor, ibi: Est injusta misericordia &c. facilitas enim venie incentivum tribuit delinquendi. Resp. hic esse sermonem de discreto misericordiâ mixto rigore, qui nullatenus severitas vel crudelitas à S. Chrysostrò relata, sed debitus, utilis & necessarius justus zelus est, & dici debet, quem si non adhibent Rectores, ipsi quoque censentur rei delictorum à subditis commissorum, arg. cau. 1. 2. & 3. dist. 86. ibi can. 1. Inferiorum culpa ordinem ad nullos magis referenda sum, quam ad desiderios, negligentesque Rectores, qui multam sepe nutriunt perversitatem, dum austeriorem (alibi legitur necessariam) dissimulant adhibere medicinam; quia ubi delicta manent impunite, liberius & frequentius peccatur, ac locum habet citatus textus can. est injusta, quòd facilitas venie incentivum tribuit delinquendi: & è contra verum manet illud: ubi rigor, ubi vigor, arg. cit. can. 3. dist. 86. Addit Glossa in cit. can. alligant. v. melius can. est injusta. de servando rigore intelligendum esse; quando alias nulla est spes emendationis, vel correctionis; item de insolentibus & tumidis arg. cit. can. 2. dist. 86. ibi: corripiantur tumidi, tolerantur infirmi: & quod in peccatis severius castigari necesse est, non scientis plebatur animò, sed medentis.

Porrò Regula nostra, & sensus ejusdem ulterius declaratur, & firmatur ex aliis concordantibus Juris Principiis ac Regulis, si utique ostenditur, universaliter verum esse, quòd Regule Rubrica dicit: Dubia in meliorem partem interpretari debent. Sic enim I. si quis gratulium relictum obtinet cum Chausula: Si idoneus est, & dubium apparet, an idoneus sit, non tenetur se idoneum probare, sed talis benigniore interpretatione præsumi debet textu claro c. fin. de Præsumpt.

2 Actus, qui potest denotare delictum & non delictum, ut carens delicto interpretari debet. l. 51. ff. pro Socio. l. 4. §. docere 12. ff. de vi bon. rapt.

3 In odiosis & onerosis v. g. in penis infligendis, stante dubio semper mitiorem, & benigniorem, reoque favorabilem interpretationem amplecti oportet. c. odia 15. de R. J. in 6. Odia restringi & favores convenit ampliari, cui concordat c. in penis 39. de R. J. in 6. In penis benignior interpretatio est facienda.

4 Existente dubio in contractibus & testamentis benignè & ita interpretari debemus, ut potius valeant, quam pereant l. Proximè 3. ff. de his, quæ in Testamento delentur. ibi: in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justus est quam tutius.

Queritur II. Quas Exceptiones seu fallentias patitur Regula II. Resp. Præter alias, etiam sunt sequentes, & quidem I. Fallit Regula in actionibus manifestè malis, uti patet ex ipso textu Regulæ; ubi etiam additur ratio: quia non possum bonò animò fieri, ut stuprum, blasphemias, furta, ebrietates & similia, de quibus nobis permittitur judicare, ad eò ut non tantum nemo teneatur, sed nec prudenter possit interpretari, illa bono animò esse facta.

Fallit 2. In casibus, in quibus agitur de malo avertendo, vel bono acquirendo aut tuendo: in his enim etiam in dubio id, quòd pejus est, de proximo positive judicare non valeamus, tamen illud timere, & de illo cogitare, indeque convenientes cautelas adhibere licet, cum Jura etiam abundantem cautelam approbent. l. Testamentum. 17. C. de Testam. Et profectò si sua quis propria facta timere, & suspecta habere potest juxta Job. cap. 9. v. 28. Verebar omnia opera mea: quare non alienis attendere, ne sibi vel aliis noceant? Hinc illi minimò contrà hanc Regulam, sed prudenter agunt, qui peregrinis & ignotis hominibus hospitio susceptis cistas, & cubricula claudunt, pretio&supellectilem abscondunt, sicque pro-avertendo damno contra quemvis casum cautelam adhibent. Strein. in hac Reg.

Fallit 3. In Judiciis; in his enim judex causam vel factum controversum & dubium non pro privato arbitrio & bonitate sua in meliorem partem interpretari potest, sed juxta allegata & probata, ac prout res in se est, judicare debet can. judicet 4. can. 3. q. 7. & c. 1. de Sen. & re jud. in 6. salvo tamen illò, quòd manente dubio reus sit absolvendus c. Imer dilectos. 6. de fid. Instrum. & c. Ex literis. 3. de probat. ibi: promptoria sunt jura ad absolvendum, quam condemnandum.

REGULA III.

Utilius scandalum nasci permittitur, quam Veritas relinquatur.

Vel ut Rubrica habet.

Propter scandalum evitandum non est omittenda Veritas.

SUMMARIUM.

- 1 De scandalo remissivè: datur triplex veritas: ibi.
- 2 Vnde videlicet, Justitiæ & Disciplinæ.
- 3 Regula intelligenda est de veritate vitæ. Sensus Regule proprius. ibi.
- 4 Extenditur Regula.
- 5 Veritas justitiæ & disciplinæ ob scandalum quando temperari debet.
- 6 Specialis textus ex jure ad propositum serviens.
- 7 Ad vitandum scandalum neque venialiter peccare licet.
- 8 Quam exceptionem patitur Regula circa veritatem vitæ?
- 9 Major est obligatio cavendi scandala pusillorum, quam pharisaica.
- 10 Que fallentis Regule circa veritatem Justitiæ, & Disciplinæ?
- 11 Et que circa veritatem doctrinæ?

**S**upposita, ex Theologia, notitia quid, & quotuplex sit scandalum, de quo in nostra Theologia Morali Tr. 4. dist. 7. q. 2. sufficienter egimus, notandum cum Gloss. h. c. quod triplex detur veritas, Vitæ scilicet, Justitiæ, & Disciplinæ.

2 Veritas vitæ est ipsa legibus & præceptis conformis honestas & integritas vitæ: Veritas justitiæ ad Judices pertinens est universalis recta administratio Justitiæ juxta exigentiam juris & legum: Veritas Disciplinæ Prælati propria est debita cura disciplinæ, ut à subditis juxta cujusvis institutum omnia debito ordine & modo peragantur, ac puniantur. Gloss. hic. Addunt aliqui etiam Veritatem Doctrinæ, seu sermonis, quæ in conformitate mentis cum verbis externis consistit, & mendacio opponitur. Hòc notatò,

3 Queritur I. Quomodo de Veritate intelligenda sit Regula? & quis proprius illius sensus sit? Resp. Regula nostra ad initium posita propriè ac principaliter intelligenda est de Veritate Vitæ, ita ut verus sensus illius sit: Propter scandalum passivum vitandum, seu impediendum alterius peccatum nil est faciendum, aut omittendum, quod sine peccato fieri, aut omitti non potest: seu; potius est permittendum scandalum passivum, hoc est, peccatum alterius, quam quod quis ipse faciat aut omittat, quod sine peccato, sive sine lesione Veritatis Vitæ facere aut omittere non potest, arg. c. faciat 15. can. 22. q. 2. Concordant Doctores communiter cum Glossa h. t. & Ratio est, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona.

4 Extenditur communiter hæc Regula etiam ad illas actiones, quæ ex se quidem nec præceptæ, nec prohibite, honeste tamen, ac nullam speciem mali habentes sunt, si eas communis, & privata, propria vel aliena necessitas aut utilitas, vel damnum securum exposcat: ut proin eas ponere omnino

liceat, est ex illis scandalum sive pharisaicum sive pusillorum prævideatur & sequatur, prout cum communi Theologorum jam diximus, probavimus, & exemplificavimus in nostra Theologia Morali Tr. 4. dist. 7. q. 2.

Resp. II. Veritas Justitiæ & Disciplinæ, quamvis ordinariè loquendo omnino etiam observandæ sint, tamen ad vitandum scandalum quandoque temperandæ, omittendæ, vel differendæ veniunt arg. can. ut constitueretur. 25. dist. 50. & c. Sanè 2. de Temporib. Ordinatur. Sic quando ex graviore, est legalis correctione vel punitione subditi, ejus desperatio, aut graviora mala prudenter timentur, meritò temperatur, aut aliquandiu differtur, vel omnino intermittitur Veritas Disciplinæ. Pariter quamvis Veritas Justitiæ ad vitandum scandalum taliter omitti nequeat, quòd innocens condemnatur, aut, quòd suum est, alteri auferatur, tamen temperari potest mitigatione vel condonatione peccatæ ad legempositæ. Strein. ad hanc Reg. n. 1. in fine; ut proin veri sint versus adducti à Glossa in c. Sanè 2. de Tempor. Ordin. & h. c.

Ob populum multum crimen pertransi inultum Est verum vitæ, Doctrinæ, Justitiæque. Primum semper tene, duo propter scandalum linque.

Circa præfatas veritates intuitu scandali omittendas, vel retinendas specialiter etiam servit doctrina c. cum ex injuncto 2. de novi operis nuntiacione, contenta, ibi: Sacra Scripturæ testimonio debueras didicisse, quòd, licet opera illa, qua sine peccato mortali omitti non possunt, nec sunt pro vitando scandalo dimittenda, nec ea debeant pro vitando scandalo committi, que sine peccato mortali committi non possunt: ab his tamen, que sine peccato mortali committi possunt pariter & dimitti, sic pro scandalo tollendo cessandum, & eis etiam pro vitando scandalo insistentium. Unde Apost. 1. Corinth. 8. si scandalizatur frater, non comedam carnes in æternum &c.

Si objicitur: ergo pro vitando scandalo proximi, & peccato mortali saltem licebit quandoque venialiter peccare; nam textus solum excipit peccatum mortale. Resp. negando consequentiam: quia quod intrinsecè malum, quale est v. g. mendacium, etiam in materia veniali, fieri non potest ad vitandum scandalum; cum peccatum non sit eligibile. Contingit tamen, aliquid propter aliquam circumstantiam non esse peccatum veniale, quod illà soblatà esset veniale; prout v. g. verbum aliàs otiosum, si ex rationabili causa profertur, non est otiosum, neque peccatum. Et de hujusmodi intelligendus est textus. S. Thom. 2. 2. q. 43. art. 7. ad 5.

Queritur II. Quas exceptiones sen fallentis patitur Regula III. Resp. inter alias esse etiam sequentes: & quidem primo circa Veritatem Vitæ quamvis nunquam liceat committere peccatum etiam leve intrinsecè tale ad vitandum scandalum quodcumque, tamen

tamen opera quædam supererogatoria, & aliæ pie operationes ad veritatem vitæ ceteroquin suo modò pertinentes ad vitandum scandalum præsertim pusillorum omitti debent, si ad eas propria, vel aliena necessitas aut utilitas non cogat. Layman l. 2. tr. 3. cap. 3. n. 8. & Theologi communiter. Ratio est; quia ex lege charitatis tenemur evitare grave detrimentum proximi, si absque nostro incommodo possumus.

Dicitur autem notanter: *propter pusillorum*; quia major est obligatio cavendi scandalum pusillorum quam pharisaicum, cum istud ex mera malitia, illorum autem ex infirmitate, vel ignorantia sumatur, & propterea Christus Math. cap. 18. v. 7. ait: *Vae illi, qui scandalizaverit unum de pusillis istis*: dum

è contra scandala pharisaica parum curanda esse verbò atque exemplo docuit apud eundem Matth. cap. 18. v. 14. ubi est discipuli ei dixerint: *scis, quia pharisæus auditò hoc verbò scandalizati sunt*, id partim curans respondit: *Sinite, cæci sunt & duces cæcorum*.

Fallit secundò circa Veritatem Justitiæ & Disciplinæ in casibus supra n. 5. positus.

Fallit tertio circa Veritatem Doctrinæ vel sermonis; quia licet hæc etiam ad gravissimum vitandum scandalum positiva violari, & mendaciam committi non possit, tamen ad idem vitandum retineri, & differri potest ac debet; nisi propria vel aliena necessitas, vel communis utilitas eam edicere expolcat ob rationem supra n. 4. allatam. Cæterum de scandalo vide magis apud Theologos.

REGULA IV.

Quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum: nam & Sabbatum custodiri, præceptum est: Machabæi tamen sine sua culpa in Sabbato pugnabant: Sic & hodie, si quis jejuniunm frigerit ægrotus, reus voti non habetur.

SUMMARIUM.

- 1. Supponitur ex Theologia notitia de diversitate Necessitatis & Legis.
- 2. Regula nequitiam est intelligenda de illicitis jure Divino naturalibus.
- 3. Sed illicitis lege duntaxat humana, vel quandoque etiam lege positiva Divina.
- 4. Qualiter illicita sunt licita ob necessitatem saltem gravem, non item propter communem, seu levem.
- 5. Verus Regule sensus quis?
- 6. Declaratur exemplis.
- 7. Fallit Regula, quando transgressio legis vergit in damnum totius Communitatis.
- 8. Vel in contemptum legis aut Religionis.

**P**ro intelligentia hujus Regulæ ex Theologia supponitur notitia, Necessitatem aliam esse abiolutam aliam moralem: rursus Moralem aliam esse extremam, aliam gravem, aliam communem, seu levem. Item Legem aliam esse Divinam, aliam humanam: Divinam item aliam esse naturalem, aliam positivam. Supposita hæc notitia

Queritur I. Quomodo intelligenda hæc Regula; Et quis verus ac proprius illius sensus sit? Resp. I. Regula hæc nequitiam de illicitis lege Divina naturali, sed de illicitis lege humana duntaxat, & aliquando etiam Divina est intelligenda: ita ut taliter illicita evadant licita, quando moralis extrema vel gravis necessitas ad ea urget. Ferè unanimis DD. de illicitis jure naturali (qualia sunt stuprum v. g. adulterium, fornicatio, mollities, perjurium, blasphemias, mendaciam, directæ expulsiò fortis &c.) Ratio est; quia talia intrinsecè & essentialiter sunt illicita & mala, ac ideo per nullem necessitatem moralem, est extremam cohesionari; & licita fieri possunt: cum essentia rerum sint immutabiles.

De prohibitis verò lege duntaxat humana, vel aliquando Divina positiva, ratio est; quia est Legiflator Divinus, à quo originaliter omnis Lex, & illius in obligando vis dependet, statuerè potuisset, ut lex quævis in quovis etiam extremo necessitatis casu obligaret: tamen fragilitati & conditioni hu-

manæ accommodare voluit, & concedere, ut ea, quæ à natura seu intrinsecè & essentialiter non sunt mala, sed ideo solummodo illicita, quia per legem positivam prohibita, in necessitate extrema, vel saltem gravi licitè fieri queant, ut ex innumeris tam scripturæ, quam utriusque Juris exemplis infra ex parte ponendis apertè patet, & DD. communiter tenent.

Dicitur autem notanter: *Vel saltem gravi*; quia communis duntaxat, seu levis necessitas à transgressione legis minime excusat, siquæ non licitè licitum, quod vi illius illicitum est, prout communiter docent tam Theologi quam Canonistæ ex illa ratione, quòd aliàs propter casum quotidie occurrentium frequentiam obligationes legales facillè eliderentur in magnum Republicæ detrimentum. Debet ergo necessitas, ex illicito faciens licitum, esse extrema vel saltem gravis, id est, talis, quæ magnum seu grave damnum, aut periculum animæ vel corporis, vitæ, famæ vel bonorum &c. importat. Et ex his præmissis

Resp. II. Verus sensus Regulæ est sequens: *Actiones & omissiones lege duntaxat humana illicitæ, ordinariè evadunt licitæ, quando ad eas urgeat extrema, vel gravis necessitas. Idem quandoque procedit etiam de illicitis lege Divina positiva.* Declaratur & confirmatur sensus Regulæ exemplis.

Et quidem prima duo ponit ipsa Regula de Sabbato & jejuniò; licet enim lege positiva Divina Sabbatum ita custodiri fuerit præceptum, ut in illo certamen aliquod inire non liceret, tamen quia Machabæos ad pugnandum in Sabbato cogit necessitas, per Regulam à culpa declarantur immunes. Item licet vi legis positivæ teneamur observare jejunià Ecclesiastica, tamen ægrotus urgente necessitate illa violans nullius culpe reus est, c. 2. de observ. jejun. Sic propter necessitatem alimentorum licitum est diebus festivis opera servilia peragere c. 3. de Festis. Sic etiam bona immobilia Ecclesiarum alienate sit illicitum cap. 1. 4. & 5. de 5. Reb. Ecles. alienand. vel non tamen urgens necessitas alienationes earum facit licitas c. quando. 4. de consu. t. ubi, sicut & in pluribus utriusque Juris locis universalis

verfalis redditur ratio, videlicet, quia Necessitas non habet legem, seu non subjacet legi, intellige positivae. Unde nulla circa hoc apud DD. est controversia. Queritur II. Quas Exceptiones seu Fallentias patiat Regula IV. Resp. Eam praeter alia fallere x. quando actio aut omisso contra legem etiam humanam cederet in detrimentum totius communitatis: ut si miles ob periculum mortis stationem desereret; indeque integram civitatem. vel exercitum in gravem damnum vel periculum conjiceret. Covar. in c. Alma Mater. p. 1. §. 3. n. 9. Palao Tr. 3. disp. 1. p. 16. n. 1. & 2. & alii. Ratio est; quia bonum commune Civitatis vel exercitus multum praeponderat vitae alicujus hominis privati.

3 Fallit 2. Quando transgressio legis humanae cessat.

REGULA V.

Quod latenter, aut per vim, vel aliis illicitè introductum est, nullà debet stabilitate subsistere.

SUMMARIUM.

- 1 Quomodo haec Regula intelligenda?
2 Latenter, idem ac clam.
3 Verbis per vim intelligitur metus gravis.
4 Quid per verbum illicitè?
5 Quis verus sensus Regulae?
6 Declaratur exemplis. ibid. & tribus seqq.
7 Contractus etiam jurati, qui sine peccato servari non possunt, sunt ipso jure nulli.
8 Caeteri contractus illicitè facti de Jure valent, sed rescindi possunt.
9 Fallit Regula in actibus ex speciali dispositione insolubilibus.
10 Item quando metus gravis ab intrinseco, vel justè incutitur.
11 Datur Dolus bonus, qui contractibus non obest.

Queritur I. Quomodo haec Regula sit intelligenda? & quis proprius illius sensus sit? Resp. I. Quamvis vi hujus Regulae (cui ex parte concordat illa 64. de Reg. J. in 6. quae contra Jus sunt, utique pro insectis haberi debent.) videantur omnia, quae alicujus ex modis à Regula allegatis sunt, ipso jure nulla & irrita esse, ob verba: nullà debent stabilitate subsistere: tamen juxta Gloss. & communem DD. non in mox dicto, sed in hoc sensu intelligenda venit Regula, quod vel ipso Jure sint nulla, vel si de Jure subsistant, tamen per sententiam Judicis ad instantiam partis annullari possint & debeant. Quoniam verò i. si Jure sint nulla, & quae primum annullanda, partim ex infra adducendis exemplis, partim ex declaratione Reg. 64. J. in 6. patebunt, partim dicta jam sunt in nostro Jure Canonico lib. 1. Tit. 40. De his, quae vi, metusque causà sunt. Item lib. 2. tit. 14. de dolo & contumacia. 2. Interea pergitur ulterius ad declaranda Regulae Verba: & quidem terminus latenter coincidit cum termino clam, quem textus in ff. quod vi vel clam latissime explicat; praecipue verò, illud clam fieri dicitur, quod taliter fit, ut nequeat venire in notitiam ejus, cujus interest, ut sciat, l. Clam possidere. 6. ff. de acquir. possess. Omnia si quidem, quae sic clam & latenter, sicque dolose sunt, suspecta sunt de malo, juxta illud Salvatoris Joan. 3. Omnis, qui

ra videtur in contemptum ipsius Legis, & potestatis legislativae, vel in commune detrimentum fidei aut Religionis; Palao l. c. n. 3. cum communi aliorum. Ratio est; quia subintrare videtur Jus naturale dictans, bonum commune Religionis, & publicae potestatis legislativae praefendum esse bono alicujus privati, indeque à tali legem humanam etiam in extrema vel gravi necessitate cum dispendio vel periculo vitae, famae, aut honorum fortunae observari debere in casu, quò alias sequeretur detrimentum commune Religionis, aut contemptus potestatis legislativae. Plura de obligatione Legum, & executione ab eadem, item de tota materia legis amplè & exactè tractavimus in Lib. I. Juris Can. Tit. II. de Constit.

malè agit, odit lucem. Hinc l. 1. ff. quod vi aut clam, id, quod vi, aut clam fit, restitui, aut destrui jubetur, est ceteroquin tale quid agendi quis jus habuerit; tueri enim jus suum debuit, non injuriam committere: subdit ibidem Praetor. Porro in alio Juris sensu etiam illud latenter, & clam fieri dicitur, quod seclis arbitrè & testibus fit, habentque clandestinè facta plerumque praesumptionem injustitiae. l. fin. ff. de Ritu nupt. & 54. ff. de Administrat. tutorum.

Per terminum Regulae, aut per vim, non intelligitur vis absoluta, aut violenta coactio, quae omnem prorsus consensum excludit, cum taliter violentatus aut coactus magis pati, quam agere convincatur, ut dicitur c. Sacris. 5. De his, quae vi metusque causà sunt. sed intelligitur vis compulsiva, & impulsiva, quae idem est ac metus, & quidem ad propositum gravis, cadens in virum constantem, ex quo gravi metu si quid fit, juxta Regulam nostram stabilitate carere debet: non item quae fiat ex levi metu, qui hic non attenditur.

Per verba: Vel aliis illicitè introductum est, intelligitur ea, quae contra Juris prohibitionem, legemque Divinam aut humanam facta apparent, quia cuncta haec illicita sunt. His conformiter,

Resp. II. Proprius sensus Regulae sequens est: omne illud, quod latenter seu clam, & dolose vel per metum gravem ab extrinseco injustè incussum aut aliis contra Juris prohibitionem introductum aut gestum est, aut ipso jure nullum & irritum, aut instante parte annullandum, & irritandum est, sicque firma stabilitate caret. Declaratur & confirmatur exemplis: Sic enim i. Matrimonium contra Decretum Tridentinum sine Parocho & testibus Clam, seu Clandestinè contractum, aut comminatione mortis, vel alterius gravis mali, sicque vi seu metu gravi in virum constantem cadente extortum ipso Jure nullum & irritum est. Trident. Sess. 24. cap. 1. v. qui aliter de Reform. Matr. juncto c. Cum locum 14. de Sponsalib. & marim.

Sic pariter 2. Alienationes rerum immobilium, aut pretiosarum Ecclesiae contra Juris prohibitionem sine debita Juris solemnitate factae, invalidae sunt ipso Jure, can. Apostolicos 13. cum seqq. can. 12. q. 2. & fuffus videndum l. 3. t. 13. de Rebus Eccl. alien. §. 1. Sic 3. Professio Religiosa metu gravi injustè incusso enitit ipso Jure nulla habetur c. 1. de His, quae vi.

Sic

Regula VI. In ipso causae initio &c.

7 Sic 4. Universaliter omnes illicitè facti contractus illi, qui sine peccato servari non possunt, sunt ipso Jure nulli, cum nemo ad peccandum obligari valeat, etiam si intercesserit juramentum, quia non est obligatorum contra bonos mores praesitum juramentum. c. 58. de R. J. in 6.

8 Econtra est plerique contractus, pacta, conventa, & transactiones, qui sine peccato servari possunt, gravi metu injustè incusso de Jure valeant quidem; quia metus etiam gravis non tollit voluntarium, sed verum relinquit tritum illud, coacta voluntas est voluntas, uti cum communi aliorum benè advertit Gloss. in c. 2. V. coactus. de His quae vi: tamen datur contra illos actio, quod vi metusque causà, & instante adversario rescindi debent, l. 1. quod metus causà, junctà l. si mulier 21. §. 1. ff. eod. & amplius diximus lib. 1. tit. 40. de his, quae vi, metusque causà. §. 2. d. n. 36.

9 Queritur II. Quas Exceptiones seu fallentias patiat Regula. IV? Resp. Praeter alias, etiam sequentes. 1. In illis actibus & contractibus, qui semel validi, vel ex natura sua, vel ex Juris dispositione non amplius annullari valent, etiam si contra Juris prohibitionem illicitè fuerint facti, nam multa fieri prohibentur, quae, si fuerint facta, obtinent roborem firmitatem. Ad c. Apostolicam 16. de Regul. quemadmodum patet in Matrimonio, quod est sine praevio denuntiationibus, vel diebus prohibitis, aut in statu peccati mortalis illicitè contrahatur, tamen

etiam sic contractum amplius annullari non potest. Item in Sacramentis Baptismi, & Ordinis, utpote quae etiam ex metu gravi injustè incusso perpetuo valent, hoc ipso, quòd juxta dicta metus non tollat voluntarium, & consequenter non impedit indelebilen charactèrem impressionem, prout DD. communiter advertunt.

Fallit 2. Si metus etiam gravis non ab extrinseco, puta ab alio homine, sed ab intrinseco, ab ipso metuente ex propria passione vel natura ob timorem imminentis mortis, ob morbum, naufragium &c. provenit. Fallit 3. in casu, quòd metus gravis ab extrinseco quidem, justè tamen incutitur; Fallit 4. Si metus licet gravis non ad extorquendum tamen consensum, sed ad alium finem obtinendum injustè incutitur: ob hujusmodi enim metum actus & contractus nec invalidi sunt, nec invalidari possunt, prout amplius diximus & probavimus lib. 1. tit. 40. de his, quae vi, metusque causà. n. 26. & seqq.

Fallit 5. In dolo bono & justo, quatenus prudens solertia, pia astutia & machinatio est ad se, vel alios justè defendendum, ad propria vel aliena jura tuenda, vel recuperanda; sicut enim justus metus sine ullo praedicio actuum & contractuum etiam ab extrinseco incuti, sic pariter justus dolus adhiberi valet, can. Dominus 2. cau. 23. q. 2. l. 1. §. Non fuit 3. ff. de dolo malo. quo dolo utus est S. Paulus dum dixit: clam essem astutus, dolo vos cepi. 3. ad Cor. 12. v. 16.

REGULA VI.

In ipso causae initio non est à Quaestionibus inchoandum.

SUMMARIUM.

- 1 Per Quaestiones in Regula intelliguntur Tormenta, seu Tortura.
2 Verus sensus Regulae quis?
3 Tortura servato debito modo laudabilis est.
4 Jura ex iis, quae ordinarie vel frequenter accidunt, conduntur.
5 Ad debitum modum Tortura requiritur I. ut constet de corpore delicti.
6 II. Ut crimen sit atroc.
7 III. Ut adfint praecedentia sufficientia indicia.
8 IV. Ut reus non sit persona à Tortura immunis: & quae personae. ibid.
9 V. Ut delictum aliter probari nequeat.
10 VI. Ut reus non reddatur inutilis.
11 VII. Ut servetur proportio in Tortura.
12 Contra Judicem non servato juris ordine procedentem datur appellatio, & alio injuriam perpetram.
13 Observanda in Religione nostra circa Torturam.

Queritur I. Quomodo haec Regula intelligenda? & quis proprius illius sensus sit? Ante responsum notandum, totam difficultatem circa hanc Regulam in eo consistere, quid hic per Quaestiones intelligatur, cum in Jure quaestiones nomine subinde etiam ipsa Judicia publica veniant, eò quòd in iis, an reus nocens vel innocens sit, quaeratur. l. Fallitur 1. ff. de Origine Juris. & Gonzalez in hanc Regulam n. 2. probare nititur, per quaestiones hic intelligi querelas seu lamenta: quibus non

obstantibus Resp. I. Per terminum à quaestionibus hic intelligi tormenta, vulgò Torturam. Glossa hic communiter recepta, arg. l. Item ad Labeanem. §. 41. ff. de injur. ibi: Quaestiones intelligere debemus tormenta & corporis dolorem ad eruendam veritatem.

Resp. II. Verus Regulae sensus est: In causa seu processu criminali non est inchoandum à Tortura: sed habenda sunt prius indicia, sufficientes praesumptiones, aut semiplena, vel plus quam semiplena probatio. Gloss. cit. textu satis claro, l. 1. ff. de quaestionibus: ubi dicitur: non esse à quaestionibus incipiendum: & statim §. 1. sic habetur: Ad tormenta ita demum venire oportet, cum suspectus est reus, & alius argumentis ita probationi admoveatur, ut sola confessio deesse videatur. Ratio Regulae est, quia si causa seu processus criminalis sine praecedentibus sufficientibus praesumptionibus, vel semiplena probatione statim à Tortura inchoaretur, saepe innocentes eidem subicerentur, ipsamque vitam amittere deberent. si uti subinde contingit, ad vitandam vehementiam doloris ex tortura provenientem, crimen, quod non commiserunt, faterentur.

Caeterum licet Ludov. de Vives lib. 19. c. 6. S. Augustini de Civitate Dei ex primò dicta & aliis rationibus praesertim illis, quae l. 1. §. 23. de quaestionibus, referuntur illis verbis: Nam plerique patienti, sive duritia tormentorum ita tormenta contemunt, ut exprime eis veritas nullo modo possit: alii tantà sunt impatienti, ut quodvis mentiri, quam tormenta pati velint. Ita fit, ut vario modo faterentur, & non tantum se, verum etiam alios comminarent. Torturam penitus è medio tollendam opinetur; tamen opinio haec tanquam singularis contra clara Jura antiqua & nova,

B

torrentem



*Judic. c. Ex transmissa. 6. c. Verum 7. de foro com-  
pet. in causis feudilibus enim etiam Clericus feudatarius ad praestanda feudi onera tenetur.*

12 Quoad Loca sacra Fallit 1. si Templi, Ecclesie, Sacella consecrata, aut benedicta destruantur. Tunc enim lapides & ligna sine irreverentia & sacrilegio ad usus profanos applicantur. Fallit

2. Si homicidium, gravis vulneratio, notabilis effusio sanguinis in locis sacris contingit calu foruito, v. g. ab animali, homine furioso, amente &c. In quibus casibus Ecclesia non pollutur. De quo, uti & tota materia circa vasa, & loca sacra plenè tractavimus lib. III. tit. 40. de Consecrat. Eccles.

## REGULA VIII.

Qui ex timore facit Præceptum, aliter, quàm debeat, facit,  
& ideo jam non facit.

## SUMMARIUM.

- 1 Difficultas Regulae in quo consistat?
- Timor duplex: alius filialis. ibid.
- 2 Alius servilis: hicque
- 3 Alius bonus, & utilis. ac seq.
- 4 Alius purè servilis, seu mundanus, ac inutilis.
- 5 Sensus genuinus Regulae quis?
- 6 Declaratur exemplo.

1 **Q**ueritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis sensus verus illius sit? Ante responsionem Notandum, totam difficultatem circa intelligentiam hujus Regulae in hoc consistere, de quo timore loquatur. Duplex siquidem, vel potius triplex est timor: filialis nempe, & servilis; hicque vel supernaturalis & bonus, vel merè servilis seu mundanus. Filialis est, quo quis Deum sicut filius patrem timet, & ex hoc timore, ne eum offendat, præcepta & mandata illius observat: qui timor in charitate fundatus optimus est, innumerisque in locis laudatur & commendatur à Sacra Scriptura, uti Psal. 13. v. 10. *Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi.* Psal. 111. *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius valet nimis.* & Psal. 30. *Timeat Dominum omnis Sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum.* Item: *Voluntatem timentium sefaciet, & deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos:* Psal. 144. v. 19. Imo Psal. 110. asseritur: *Initium sapientie Timor Domini:* estque unum inter Dona Spiritus Sancti.

2 Timor servilis est, quò quis mandata servat ex timore poenae, ne eam incurrat: qui timor etiam adhuc bonus & supernaturalis est, si quis poenas sive æternas, sive temporales quatenus à DEO ob transgressionem mandatorum suorum justè infliguntur, merè timet, & ideo ex timore earum, vel potius ex timore Dei mandata illius observat, ne alias ab ipso hic vel ibi justè puniatur. Cùm enim hic timor Deum nullatenus excludat, sed eundem, & justitiam illius respiciat, ac ne per violationem mandatorum eum offendat, sicque propterea ab illo justè puniatur, rectè timeat, & hoc timore impulsus mandata illius observet, merito ex timore Dei poenas justè infligentis, sicque ex bono adhuc timore, utpote supernaturali adhuc principium habente man data observare censendus est, dummodo timor non finalis, & ita principalis sit, ut, si poenae non essent, mandatum non observaret, & Deum offendere non curaret: si enim constitutus Deum & justitiam debite non respiceret, nec voluntatem peccandi excludam, sed inclusam habere.

Cæterùm hunc timorem pariter innumeris in locis sacrae Paginae, præsertim Veteris Testamenti etiam approbant, ac ut ex timore poenarum à Deo justè infligendarum mandata divina observentur, integris Capitalis hortantur, uti Denteron. cap. 1. 4. 8. 11. &c. Sicut etiam in Novo Testamento ad observantiam mandatorum, & Timorem Dei justè punientis, Christus ipse poenarum minis hortatur: *Timeat eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Luc. 12. v. 28. Et Concil. Trident. Sess. 6. cap. 6. fatetur, timore Justitiae divinae peccatores utiliter concuti, illamque ad justificationem concurrere, quod magis ad propositam confirmat, Sess. 14. c. 4. dicens: *contritionem imperfectionem, que ex gehenna & poenarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe venie, non solum non facere hominem hypocritam, verum etiam Donum Dei, & Spiritus S. impulsum esse.*

Porro etsi n. præced. declaratus timor servilis tam bonus ac meritorius sicut timor filialis non sit, utpote charitate minus vestitus, tamen ad ejusdem qualitates, & charitatem Dei bonà intentione ac reflexione reduci facile potest, si quis videlicet ex prælato timore servilis seu ex timore poenarum, vel potius ex timore Dei, ne justè puniat, mandata observat quidem, ideo tamen etiam, quia infinitè bonus Deus, videns nos miseris sensuales homines subinde magis & citius moveri gravissimarum poenarum à Deo infligendarum minis, & timore earum, quàm solò altiori charitatis motivo, ipsemet etiam hunc timorem suadet, & ut eò ducti mandata servemus, vult & hortatur, quod bene notandum.

Timor merè servilis & mundanus est, quando quis mandata servat ex timore poenarum, vel jac-turae temporalis, v. g. fame, bonorum fortunæ, vitæ, non ut à Deo, sed hominibus provenientium uti bene docet cum D. Thomas 2. 2. q. 19. art. 2. communis DD. His notatis,

Resp. Regula nullatenus de timore in primo & secundo sensu n. 1. & 2. declarato: sed de timore merè servili humano & mundano num. præc. explicato intelligenda venit, ita ut verus illius sensus sit: *Qui ex timore merè servili & mundano, seu ex timore poenarum, quatenus ab hominibus proveniant, & timentur, præceptum observat, aliter, quàm debet, ac nihil facit. & nec meretur, nec præceptum servare censendus est.* Ratio est: quia ex timore servans præcepta, reipsa nullum Dei præcipientis respectum habere, nec ipsum curare, sed homines duntaxat respicere, sicque coram Deo qui corda scrutatur & renes, nec mereri, nec quiddam agere, nec præceptum, uti oportet, observare censetur, præsertim quia voluntatem peccandi retinens reipsa

reipsa & implicite ita constitutus est, quod si poenas, seu temporalem jac-turam ab hominibus non timeret, præceptum non observaret: ut proin merito dicat Glossa hic: *qui invidios facit* (intellige ex respectu & timore præcisè mundano & humano) *verum & meritum perdit.* arg. can. Jam verò. 4. cau. 23. q. 6.

7 Regula & sensus ejus plurimè ex S. Scriptura ulterius declarari & probari possent exemplis: verùm quia materia hæc Theologica potius, quàm Juridica est, sufficit id solum, quod Christus de Pharisæis mandata Dei Math. 6. v. 2. servantibus

dixit, eos coram Deo nihil egisse, nec ullam mercedem habere: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam;* Nam sicut qui sine ulla ad Deum reflexione ad captandam laudem, & æstimationem hominum præcepta observant, & bona opera faciunt, nil coram Deo facere, & omni merito indigni esse censentur: sic idem dicendum de illis, qui id ex timore præcisè humano & mundano, seu merè servili agunt; quomòvis in foro externo, quod de intrinsecis non judicat, à poenis transgressionis præceptorum immunes sint.

## REGULA IX.

Defeat Peccator, quia offendens in uno, factus est omnium reus.

## SUMMARIUM.

- 1 Difficultas Regulae.
- 2 Declaratio illius à nonnullis.
- 3 Alia Declaratio.
- 4 Verus sensus Regulae.
- 5 Poenam sensus majorem pati debet, qui magis peccat.

1 **Q**ueritur, Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sit sensus? Ante responsionem notandum, hanc Regulam omnino concordare cum sententia S. Jacobi in sua Epistola Catholica c. 2. v. 10. (ex quo Regula nostra desumpta verifimiliter creditur) ubi cùm Judæi manutenerent vellem, non esse necesse totam legem, legisque præcepta servare, dixit eidem loc. cit. *quicumque totam Legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus:* idipsum, quod Regula sonat. Verùm, quia durum foret, verba hæc in literali sensu, prout sæcent, intelligere, ita, ut qui unam legem, v. g. *Non furum facies*, si-rando transgrediretur, fieret reus omnium transgressionum, sicque reputaretur etiam adulter, perjurus, blasphemus, idololatra, homicida &c. hinc tam interpretes S. Scripturae, quàm Glossatores nostra Regulae faciunt varias interpretationes, inter quas præcipue sunt duæ sequentes.

2 Prima est eorum, qui dicunt, ideo eam, qui in uno offendit, seu legem divinam transgreditur, censeri reum omnium, quia sola transgressione unius legis jam videtur contemnere & non curare Divinam potestatem legislativam, seu Autoritatem supremi Legislatoris, sicque promptus, paratus ac dispositus esse, quòd sicut in uno, non attendit, sed quasi spreta autoritate supremi Legislatoris legem transgredi ausus est, sic eam etiam in aliis transgredi non curet, potestate legislativâ divinâ jam semel quasi spreta, & non amplius attendit, juxta tritum illud: *qui unum peccatum mortale non timet, nec aliud timet.* Et huic

interpretationi favere videtur subsequens textus S. Jacobi, qui postquam dixit: *offendens in uno factus est omnium reus*, statim y. 11. subiunxit: *qui enim dixit, non machaberis, dixit & non occides. Quod si non machaberis, occides autem, factus es transgressor Legis.*

Altera interpretatio, quam tenet Glossa hic, & Lyran, in cit. Epist. S. Jacobi cap. 2. S. Thomas 2. 2. q. 72. art. 1. & alii, vult, Regulam intelligendam esse de offendente in uno graviter, seu committente peccatum mortale, utpote propter hoc unicum factus reus omnium quoruncunque tandem peccatorum quoad poenam damni, id est, æternam privationem visionis beatificæ, perditionis Amicitiae Divinæ, Charitatis & Gratia sanctificantis, meritorum, ac Coelestis Gloriae, quæ cuncta propter unum peccatum mortale æquè perdit, poenamque damni æquè incurrit, ac si omnia peccata totius mundi commisisset. Hoc notatò,

Resp. ad questionem, Regulam intelligendam esse juxta secundam interpretationem num. præc. adductam, ita ut verus illius sensus sit: *Fleat mortaliter peccans, quia propter unum peccatum mortale Amicitiam divinam, Charitatem, Gratiam sanctificantem, merita, & prius facta bona opera cuncta, æternam beatitudinem æquè perdit, poenamque damni perinde incurrit, ac si omnia peccata reipsa commisisset.* Ratio est: quia quæ in hoc sensu allegantur, non tantùm per unanimum Theologorum, sed etiam per fidem divinam sunt certa, indeque Regula dicens: *offendens in uno, factus est reus omnium*, quoad præcipuum effectum in eo verificatur, quòd propter unicum peccatum mortale eandem infiniti boni, & æternæ beatitudinis coelestis jac-turam incurrat, ac si omnium peccatorum esset reus.

Dicitur tamen notanter: *poenam damni;* quia poenas sensus plures & graviores hic & ibi sustinere debet, qui plura & majora committit peccata. De quo magis Theologi.